

1099 commissa. Nec interim ob maris vicinitatem locorumque aliquot in Palestino agro receptorum, ita fame, ut ad Antiochiam, est laboratum. Fuit per eos dies, quibus tenuit obsidio, urbs nonnunquam oppugnatione tentata: sed primi illi conatus irriti fuere. Demum castellis aliisque operibus belli-
cis muro admotis, oppugnatio aliquanto atrocior, quam ultra ante alias, hostes adorta est. Initia namque prima luce pugna, in meridiem fuerat protracta: ceciderantque interim ex nostris non pauci, majorque in horas cædes oriebatur: apparabatque eo die rem parum prospere motam, nisi Baldoinus robore militum septus, per tabulata, quæ hostes ad occupanda opera urbi admota summis mœnibus substruxerant, in muros transcendisset; tum quoque aliquantis per laboratum. Sed refracta interim porta, muroque haud procul inde ariete discusso, irrumpentibus undique viatoribus cessit hostis: fœdissima cædes passim tota urbe edita; saevitumque primo in omnem sexum & ætatem. Turris, quæ Davidis dicitur, in arcis speciem munita, per deditio[n]em continuo est recepta. Circa templum omnis vis belli incubuit: ingens mortalium numerus eo confugerat. Hic cum multa utrinque cæde dimicatum, desperatione illos animante, hos vero indignatione: quippe quibus, urbe capta, templum, quod ab imbelli turba fuerat occupatum, non pateret. Vi tamen irruptione facta, ita cupide in cædem procursum, ut aliis cuneis alios in templum trudentibus, ii qui primo irruperant, cominus cum globo armatorum hostium pugnare cogerentur: quin etiam a tergo impulsi, in objectos mucrones præcipitabundi ruerent. Nec ab hoste interea cessatum, cui præsens periculum pugnandi necessitatem imponebat, cogebatque omnia audere. Cruentum itaque certamen commissum, non tantum circa limina, sed in medio etiam templo: tantaque promiscuæ viatorum vincentiumque fuit strages, ut crux pavimento fusus pedalem altitudinem æquaverit. Demum fastigio templi nondum expugnato, jam se primis tenebris intendentibus datum est signum receptui. Postridie proposito edicto, ut inermibus parceretur, qui se ex superiore loco tuebantur, supplices veniam precati deditio[n]em fecere. In hunc modum

Hiero-